

V C
3/13



Ch.



Q. d. 28, 5

Vc
3113

ORATIO

Sub auspicia ineuntis Electuræ

Illustrissimi, Celsissimiq;

Principis ac Domini,

DOMINI

CHRISTIANI II,

DVCIS SAXONIÆ, SEPTEMVIRI

IMPERII AC PRAEFECTI PRAETORIO, LAND-

gravij Thuringiæ, Marchionis Misniæ,

& Principis Hennebergæ,

habita ac publicata,

IN ACADEMIA VVITEBERGENSI,

debitæ, ac submissæ gratulationis ergo

AB

ADAMO THEODORO SIBERO,

ELOQUENTIAE PROFESSORE,

Ad diem V. Calend. Octob. Anno M. DC. I.



VVITEBERGÆ, Typis Zachariæ Lehmanni.

*Dr. M.
Kögler*

LIBRARIAT
UNIVERSITÄT WITTENBERG





BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



St hoc in more
positum, qui ad dicendum
accedunt, plerisq; omnibus,
ut instituti sui rationem ex-
ponant, & multis sæpe ver-
bis vel necessitatem excu-
sent, vel difficultatem com-
memorent, vel etiam arrogantia, aut suspicionem
temeritatis deprecentur. Ego verò, neque tam ine-
ptus sum, ut quid in hoc genere deceat, ignorem,
neque tam mei nescius, ut quam rem susceperim,
non sentiam: & quum utrumq; probè norim, ita
tamen statuo, non potuisse me non eorum, quibus
parere debeo, autoritate atque hortatu has partes
dicendi mihi esse velle impositas, quas mea mihi
sponte eram injuncturus. Gratulandum est enim
Celsissimo, Illustrissimo, ac Florentissimo *CHRIS-
TIANO* Secundo, Duci atque Electori Saxoniae,
Domino, & Principi nostro clementissimo: atque
ijs verbis gratulandum, quibus & Deum immor-
talem, ac præpotentem, à quo, in quo, & per quem
sunt omnia, Deum nimirum Christianorum pre-
cibus, gratijsque veneremur, & Principem ipsum
Christianum bene ominatis vocibus prosequa-
mur. Ita quantum ab oratione deserimur, tan-

tum à devotione sublevamur : & quantum timo-
ris affert ingenij exiguitas , tantum fiducia ad-
dit officij pietas. Huc accedit vestra , Auditores,
singularis ad auscultandum & frequentia , & at-
tentio : quarum utramque non vulgari mihi ad-
dicendum solatio , atque adminiculo fuisse , ita vo-
bis constabit , si ipse vestris auribus verbosâ , aut
ociosâ oratione molestus non fuero. Quod si ul-
lum unquam tempus est , quum pro principibus
viris vota suscipienda sunt : tum profectò illud
est , quum Principatus ipsi suos suscipiunt. Etenim
si & privati homines consueverunt , & gentiles
prophani censuerunt , à Dijs immortalibus rerum
agendarum ducenda esse primordia : quantò ma-
gis nos veræ religionis participes decet pro salute,
& incolumitate Principum nostrorum preces ad
Deum eo tempore fundere , quo tempore illi ad
Reipublicæ gubernacula aggrediuntur ? Est qui-
dem Dei numen nunquam non precibus implo-
randum , quia nunquam ejus ope atque auxilio
carere possumus : sed eæ preces , quæ pro principi-
bus novis concipiuntur , facilè omnium & tem-
porum , & invocationum momenta suo quodam
genere complectuntur. Vt enim principia posita
sunt , inquit ille , sic cætera consequuntur , & quum
Princeps , Deo approbante ac faciente , bene habet ,
sub

subiunctus sub ditionem eius populus malé habere non potest: quúmque divinum auxilium ad partes agendi vocatur, & publicé, & privatim secundo omnia cursu, atque exitu excipiantur, necesse est. Id quod præclarè intelligens magister ille gentium, ac summus Ecclesiæ doctor Paulus Apostolus, primùm omnium fieri vult supplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro cunctis hominibus, pro regibus, & omnibus potestate pollentibus, ut tranquillam quietamque vitam agamus cum omni pietate, & gravitate. Quod igitur felix ac ratum sit, tibi æterne, omnipotens, ac misericors Deus, Pater Domini, ac servatoris nostri *IESU CHRISTI*, cuius verbo extitit, nutu regitur, spiritu conservatur hæc rerum universitas, cuius item mente regnascuntur, augentur, retinentur, voluntate gubernantur, ope fulciuntur, offensione denique labuntur, concidunt, delentur, tibi, inquam, autor, atque arbiter imperiorum, regnorum, principatum, & cuncti ordinis politici, quantas mente comprehendere, quantas verbis exprimere possumus gratias & habemus, & agimus: quòd Illustrissimum Principem ac Dominum nostrum, Dominum *CHRISTIANVM* Secundum, Ducem atque Electorem Saxonie clementi, ac po-

tenti numine tuo non solum ab omnibus malis, ac
morbis hactenus prolixè prohibuisti, sed etiam eò
ætatis perduxisti, ut tum in tutelam suam vene-
rit, tū subditorum suorum tutelam, atque curam
susceperit: & oramus te, benignissime pater, om-
nibus precibus, ut eundem illum Principem
nostrum solitâ bonitate tuâ perpetuò prosequa-
ris, & omnibus animi virtutibus, omnibus cor-
poris dotibus, omnibus denique felicitatis mune-
ribus, ac numeris cumules, augeas, amplifices; ut
in tantâ & morum perversitate, & temporum ini-
quitate, rempublicam dexteritate optabili admi-
nistret; & consilia, studia, opes, atque copias suas
conferat ad nominis tui majestatem, Ecclesiæ in-
crementum, harum regionum emolumentum,
imperij Romani firmamentum, inclitæ domus
Saxonicæ ornamentum, hujus Academiæ nostræ
præsidium, & commodum, ac suâ denique ipsius
salutem sempiternam, & nunquam intermoritu-
ram laudem, atque gloriam Has grates, atque has
preces, Auditores, par est unumquemque nostrum
serio, ac devoto animo usurpare, aut luculentiores
etiam, atque ampliores his ipsis concipere: hanc
mentem afferre debemus ad auspicia novi Electo-
ris: hæc sententia retinenda nobis, & cum omni
gubernationis, ac vitæ cursu adæquanda est, neque
enim

enim satis habere debemus, si regum regi, & dominantium domino Deo semel tantum, vel hoc in loco, vel in templo aliquo laudes persolverimus, aut preces adhibuerimus, Illustrissimi Principis nostri nomine: sed & hinc, & in templis, & in museis, atque etiam in cubiculis nostris illud idem assidue facere debemus: quia ad quamcunque publicæ, aut privatæ rei partem oculos converterimus, ita reperiemus, post Deum optimum maximum Principis fidei, curæ, ac tutelæ omnia accepta esse referenda. Nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat custos, inquit rex, & Propheta ille. Ex quo sequitur, inter insidias & machinationes Diaboli, interque hominum scelera, fraudes, & perfidias, nec constitui posse ullius mortalis ingenio respublicas, nec conservari, nisi Princeps mundi Deus suo ipse nutu atque arbitrio, eos, qui imperij clavum tenent, adjuvet, gubernet, regat. Non dubitavit quidem Cicero noster oppressâ conjuratione illâ nefariâ, & re bene gestâ gloriari: *O fortunatam natam me consule Romanam!* At quum aliquot annis post rerum potiti essent Triumviri, & omnia sursum ac deorsum ipsius consilij ferrentur: *O me nunquam, exclamat, sapientem, quantum te popule Romane de me fefellit opinio!* Nimirum rei&familjaris, & publicæ administrationis

nis

nis commodæ, ac salutaris caussa conficiens solus
Deus est, idemque finis, atque extremum est, ad
quem omnia revocanda sunt & referenda. Quod
quum ignorent hujus seculi sapientes, & in suis
consilijs à coelesti Numine, cujus voluntatem re-
vereri, & suâ ipsorum sententiâ priorem habere
debent, regi se se minimè petant, neque in agendo
gloriam ejus spectent: frustra conterunt operam,
adeoque ad extremum vertunt omnia, sibi, & alijs
detrimenta maxima importantes. Quamobrem
rectè Sapiaentia apud Solomonem per me, inquit,
reges regnant, & gubernatores justa decernunt:
per me Principes imperant, & illustres sunt om-
nes orbis præsides. Meritò igitur pro Illustris-
simo nostro Principe Electore vota facimus, non
solum nos, qui aut provinciarum ejus cives ac
subditi, aut officiorum administri, aut beneficio-
rum alumni sumus, sed omnes omninò, qui com-
munem patriam, Germaniam, Romani sedem
imperij, cujus Princeps noster Septemvir Prima-
rius, ac præfectus prætorio est, salvam, atque in-
columem esse cupiunt. Quod quum ita sit, agi-
te dum, Auditores, quæ pars altera est oratiuncu-
læ nostræ, quoniam Spiritus ipse sanctus formu-
lam nobis ejus rei præscripsit, boni ominis, &
faustæ, ac festæ acclamationis ergo Illustrissimum
Princi-

Principem Electorem novum debitâ, & submissâ
compellatione saluum, incolumem, ac fortuna-
tum esse jubeamus: sententiâ quidem Davidis,
nostris tamen verbis, hoc est, compluscusis illis,
sed ad mentem Prophetę regis penitus exprimen-
dam non ineptè, ut spero, accommodatis: idque
in hunc modum: *In quo uno, atque unico, non in re-
gum confœderatorum, ac sociorum auxilijs, non nationum
clientelis, non auri argentiq; copijs, non armis ac tormentis
bellicis, non vi & multitudine militum spem universam
repositâ habes, temporibus duris atque adversis exaudiat te
Dominus, & nomen, potentia, amplitudo, ac majestas Dei
Jacobæorum prohibitum ærumnis tueatur. Respiciat te
periclitantem, & è domicilio sanctuarij sui præsentia ani-
mi corroboret. Odoretur suavitatem nidoris exhalantis è
sacrificiorum tuorum crematione, & hostias tuas in ci-
nerem convertat: gratas & acceptas habeat victimas
tuas, easq; demissâ de cœlo flammâ absumat. Approbet
Deus ea, quæ habes in animo, & omne consilium tuum
perficiat; rata esse velit, quæ optas: prospero successu pro-
vehat, quæ instituis; ad optatum eventum perducatur, quæ
moliris: felici exitu concludat, quæ tractas universa. Plau-
demus tuæ victoriæ, & quum profligatis omnis generis
adversarijs tuis gratulatione, & leticiâ publicâ exceptus
fueris, gloriosum agemus triumphum. Dominus enim
preces, supplicationesq; tuas ratas habet, & optata tua ad*

B

spera-

Speratam metam favoris sui aurâ prosequitur. Itaque rerum, quæ divinitus contigerunt, eventu eruditus, intelligo Dominum defendere Vinctum suum: persuasissimum habeo, fore, ut propugnet Deus pro salute Principis sui, & salutaris dexteræ suæ robore ipsum tueatur. Hostes curvus, & equos jaçant: at nos Dei nostri nomen invocamus: hostes armis confidunt, & bellatorum multitudine: nos verò salutem nostram æterni numinis imploratione muniamus. Illi fusi fugatiq; occident, nos alacres erectique consistemus. Maxime rerum omnium moderator & Domine, qui facilem te precibus populi tui præbuiisti, in posterum quoque aures benignas ad vota nostra adhibe: & Principem nostrum, ac rempub. universam numinis tui præsidio contra hostium furores ab omni detrimento & incommodo clementer tueere, ac defende. Hæc est, Auditores, precatio illa Davidis, quâ populum introducit non solum lætis ominibus prosequentem regem suum ad manus cum hostibus conferendas exeuntem, atque, ut bellum facili, ac felici victoria terminet, optantem: sed etiam vota facientem, ut ab omni malo, atque incommodo rex prohibitus, in rebus non minus domi, atque in pace obeundis, quàm foris in bello patrandis successu prospero, & qui animi sententiæ, atque optatis omni ex parte respondeat, utatur. Videlicet imperare alijs res maxima est, & ars omnium artium

tium summa, ut rectè Plato Philosophus, & Chry-
sostomus Theologus dixerunt: ideoque quin ijs,
qui cum imperio, aut potestate sunt, curæ, æru-
mnæ, infidiæ, ac pericula cum à nequam Dæmo-
ne, tum ab improbis & consceleratis Clodijs, at-
que Catilinis obijciantur, fieri haudquaquam
potest. Veruntamen plenissima consolationis
verba sunt Prophetæ, qui Deum vocat numen Ia-
cobæorum, quasi quod levi momento supplan-
tare, evertere, atque profligare & soleat, & possit
fraudes, atque machinationes hostium universas:
respiciens scilicet ad historiam Patriarchæ, & fa-
ctam ei promissionem, qua se Iacobum, ejusque
stirpem felicitaturum, ac defensurum Deus erat
pollicitus. Ideoque *de Sione tueatur te*, inquit:
utique propter sanctuarium, quod domicilium
terrenum numinis sui statuerat in monte Sionio
Deus, atque ad illud nomen quasi suum alligarat,
seque eo loci preces populi auditorum receperat.
Genuinâ enim, & innatâ, ut sic dicam atque coæ-
ternâ bonitate, & clementiâ suâ incitatus, non
nostris meritis, quæ nulla sunt, & quibus extre-
ma omnia debentur, inductus Deus Sionem mon-
tem suum, hoc est, Ecclesiam tueatur, & conservat:
absque quâ si esset, jam sexcentis retrò seculis tu-
multibus, cædibus, stragibus, ac ruinis pessum ire

malefici Dæmonis operâ respublikas omnes per-
misisset. Facit porrò mentionem Propheta sacri-
ficij regij, flammis cœlestibus cōburendi, eò quòd
priscorum patrum hostias, quibus illi fide in im-
molandum Dei agnum, qui mundi peccata sub-
laturus erat, sacra faciebant, ignis cœlo delapsus
cremare consuevisset. Cujusmodi autem sacri-
ficia, hoc est, opera, atque munia pij ac Christia-
ni magistratûs sint, quæ Deus requirat, quæ grata,
atque rata habeat, quæ cœlesti suo igne in cine-
rem salutarem redigat, cum passim in sacris lite-
ris exponitur, tum non uno in loco apud eundem
illum regem, & Prophetam extat, sed nusquam
luculentius, nusquã pleniùs, atque disertius quàm
integro ipso Psalmo: quo tanquam ideam boni
& cordati Principis informat, seque exemplum
proponit ad imitandum omnibus, qui magistra-
tûs sui munus rectè, ac salutariter administrare vo-
lunt. Fueritque operæ precium contemplari, ac
recognoscere illam ipsam formam gubernatio-
nis regix, graphicè quidem per se delineatam, sed
verbis tamen nostris, tanquam coloribus quibus-
dam expressam, atque illustratam. Qualem igitur
se regem profitetur ille, & ad quam regulam
alios exigit? *Dicam, inquit, de misericordia, & judi-
cio, teque celebrabo, Domine, meo carmine pro feliciter ad-
ministrata*

ministratâ republicâ. Tibi obœdio, atque obtempéro, ut
sapienter me geram, & vitæ inculpatae operam dem: de
præscripto mandatorum tuorum id ago, ut diligentem mu-
neris mei habeam rationem, & simpliciter, fideliter, & que
commodo subditorum meorum commissi mihi officij partes
administrê. Ab omni re injustâ, quamvis blandâ specie ocu-
los præstringat, abhorreo: qui prava sectantur, & malis
exemplis corrumpunt alios, odio habeo, neque hæerere ulla
in parte apud me patior: corde pravo ac perverso homines
faceßere à me jubeo: nihil negotij, aut cõmercij contraho cū
improbis universis. Aliorū obtrectatores clācularios exter-
mino: elatâ cervicē, ac spiritu immoderato tumidos non
fero. Oculis mentis fidelissimos quosque undique conquiro,
quos mihi adjungam: qui se innocenter gerunt, eorum mi-
nisterio utor. Homines fictos ac personatos domo meâ ex-
cludo: mendaces & falsiloquos nullo loco habeo. Mature
extirpo è Republicâ omnes consceleratos: & è civitate
divinâ omnes maleficos excindo. Hactenus de inte-
grâ & perfectâ boni regis, & principis formâ Rex,
& Propheta unicus. Sed nos ad precationē illam
revertamur, quâ tanquam bellicum (militia est e-
nim omnis vita hominis, & hominis præcipuè
Christiani, & Christiani potissimùm Principis)
regi suo populus Israëliticus canit, eamque his
verbis claudit: Domine salvuum fac regem: & ex-
audi nos in die, quâ invocaverimus te. Quam

sententiam ut brevissimam, sic omnes felicitatis
numeros facile complectentem versibus longè
pulcherrimis explanavit Fortunatus, Pictaviensi-
um Episcopus: qui versus digni sunt, qui & curæ
habeantur, & auribus instillentur, & memoriæ
mandentur, & reipsâ atque factò exprimantur:
sunt autem hujusmodi.

Protegat Omnipotens pietatis munere Regem:

Et dominum servet, quem dedit esse patrem.

Cives te cupiant, tu gaudia civibus addas:

Plebs placeat famulans: Rex pietate regat.

Bene, me Christe, & luculèter Episcopus ille. quo-
modo enim Rex, aut Princeps salvus esse queat, in
tantâ & muneris difficultate, & rerû iniquitate, &
hominû protervitate, nisi is, qui omnia potest, De-
us ipse eû protegat? quomodo porrò reclus, ac sar-
tus ille divino numine sit, nisi principis, ac reginæ
virtutum omnium, pietatis videlicet, præsidio ni-
tatur? qui autem pius sit, non jam Dominum aut
Herum, sed Patrem ac Patronû subditorû se esse
animadvertat, ideoque omnium ordinum, omnis
ætatis, ac lexis civibus jucundus, gratus, & acce-
ptus sit, necesse est: quippe quem demereri omni
genere obsequiorum, atque officiorum tantò im-
pensiùs studeant, quantò ipse majora quotidie, &
firmio-

firmiora in curriculo pietatis spacia conficiat. Sed quoniam in Poëtæ mentionem incidimus, neque in Areopago, aut foro Romano verba facimus, quibus in locis versus suos afferre ineptum fortasse fuisset, sed potiùs in confessu scholastico omne genus literas eruditorum hominum, quumque a deo hujus temporis ratio ita cõparata sit, ut non eruditionis ostentandæ, multoque minùs eloquentiæ, aut facundiæ saltem consecrandæ, sed pietatis tantum, ac devotionis declarandæ partes nobis demandatæ sint: illum ipsum Psalmum Illustrissimo Principi atque Electori nostro secundi omnium causâ etiam modulatis verbis accinamus, tum quia non præclara solùm, sed vel imprimis pia ac religiosa bis, terque usurpare etiam proverbio jubemur, tum quia meliore gratulationis formulâ uti non possumus, quàm quæ à Spiritu ipso sancto profecta est. Hoc igitur agamus:

*Audiat adverso tua, PRINCEPS, tempore vota,
Qui fuit, & Deus est solus, & unus erit.
Numinis Isacidum defensum nomina prestent,
Eque Sionæa te tegat arce favor.
Extalites: sacras solennia ferta per aras
Flammaq; de cælo lapsa repente cremet.*

Annu-

Annuat oranti, tribuat quodcunque rogabis:

Sit pars consilij nulla caduca tui.

Fallimur? an vinctes cœlesti munere, nobis

Læticiâq, tuus causa triumphus erit?

Auspice signa Deo, densas vibramus & ha-

Eveniant votis omnia fausta tuis. (Stas:

Certum est, dextra D V C I dat numinis alma

salutem:

Vi divina valens dextra potente iuvat.

Dant animos hosti currusq, equitesq, tuentis

Nos cœlum precibus sollicitamus opem.

Ille cadens fœdo consternet corpore terram:

Non vis nos capto dimovet ulla loco,

I felix, felixq, redi: rex magnus Olympi

Has pro te vanas non sinit esse preces.

Atque ista ex Spiritus sancti, ut dixi, & afflatu, & præscripto deprompta sunt: quibus Illustrissimi magistratûs nostri res, ac rationes prosequi subinde, & ut domi, ac foris usquequaque bene, feliciterque habeant, cōtraque omnes adversitates salvæ, atque invictæ consistant, Deo omnipotenti, & immortalis, à quo uno salus, & victoria omnis pendet, ac petenda est, commendare debemus.

Olim

Olim quidem, in Imperatorum inauguratione institutum legimus, ut ijs Augusti felicitas, Trajani bonitas optaretur. Votum sanè luculentum. Augustus enim Iulij Cæsaris ex sorore nepos, ejusque testamento adoptatus, Triumvir primùm constituendæ Reipub. creatus, deinde Imperator factus, Rempublicam annos sex, & quinquaginta tenuit: bella civilia quinque gessit, duo externa: Triumphator orbis totius, pace terrâ, marique partâ, imperio omnium gentium constituto, Ianum Quirinum, qui bis tantum clausus fuerat, tertium clausit. Trajanus autem imperium per annos decem, & novem tantâ probitate, innocentia, lenitate, ac temperantiâ gessit, ut cum omnium constanti voce, tum etiam senatus decreto optimus appellaretur. Itaque bonitatis, ac virtutis suæ conscius, quum gladium de more traderet Præfecto prætorio, addere non dubitavit: hunc à me gladium accipe, & siquidem justè imperavero, pro me habeto: si injustè, in me ipsum stringito. Sed ô miseram felicitatem: ô benitatem improbam, & sanguinariam. Hic enim est, Auditores, felix Augustus Cæsar ille, qui Triumvir esse non potuisset, nisi communi proscriptione Senatores trecentos, equites autem supra bis mille necari jussisset, & in his M. Tullium Ciceronem,

C

patrem

patrem patriæ, virum, ac civem non solum de Re-
publicâ, sed etiam de seipso optimè, ac præclarissi-
mè meritum. Hic est felix Imperator ille, qui bel-
lo Philippensi castris exutus vix fugâ sibi consuluit;
qui Perusino, à militibus suis propè perijt; qui
Siculo, oppressus à præfectis Pompeij, uno navi-
gio ægerrimè evasit: hic ille est, qui absens duas
gravissimas ignominias, cladesque in Germaniâ
nostrâ accepit, Lolianam, & Varianam, illam qui-
dem majoris infamiæ, quàm detrimenti, hanc
certè penè exitiabilem, tribus legionibus cum du-
ce, legatisque, & auxilijs omnibus ad internecio-
nem interfectis: hic denique ille felix est pater,
qui Iuliam filiam, & neptem Iuliam, omnibus
probris contaminatas, relegavit, qui nepotes Ca-
jum & Lucium intra biennij spacium morte ami-
sit, Agrippam verò abdicavit, atque in insulam
transportavit. Veruntamen fuerit extra crudelis-
simam illam, & quâ nihil acerbius, nihil indigni-
us sol ille vidit, proscriptionem triumviralem; fu-
erit extra maximas clades bellicas; fuerit extra
tres vomicas, ac tria carcinomata illa sua: quô-
nam tandem modo felix ille censerî potest, qui
temporariæ, atque æternæ pacis, ac felicitatis pa-
rentem, atque autorem agnoscere, quum potue-
rit, noluit? cujus autem judicij fuerit, felicitis, an
infani

infani dicam, affirmare se malle Herodis porcum,
quàm filium esse, nec causam interea inquirere,
cur ille liberorum suorum parricida extitisset?
quid porrò attinebat Pythiam consulere, quis
post ipsum imperaturus esset, si totius universitatis
imperatorem jam in lucem editum negligebat?
Nam quum ita respondisset Pythia:

*Me puer Hebræus, superi regnator Olympi,
Hanc migrare domum jubet, & petere stygis
undas,*

Quocirca tacitus te nostris aufer ab aris:

ibi ille imperator felix, & non solum sui viventis
securus, sed etiam superstitum olim providus, ad
scientiam satis sibi esse existimavit si quis ille puer
Hebræus esset, nescire perseveraret. At verò Tra-
janus imperatorum optimus, ille videlicet probi-
tatis regula, exemplar innocentiae, mansuetudi-
nis norma, lima lenitatis, apex bonitatis univer-
sae, fontem, atque oceanum potiùs omnis bonita-
tis, humanitatis, & clementiae, Dominum nostrum
Iesum Christum non solum non veneratus est,
quum facilè in clarissimâ illâ Ecclesiarum Asiae
luce posset, sed etiam in Christianos gladium il-
lum suum, & Prætorianum strinxit, cruces fixit,
bestias incitavit, & omnia suppliciorum, ac cruci-



atuum genera expedivit. Itaque fuerit licet Augustus Cæsar ipsa felicitas, fuerit Trajanus ipsa bonitas: tantum tamen & iste à verâ bonitate, & ille à verâ felicitate abfuit, quantum uterque à pietate abfuerunt. Pietas, inquam, ipsis defuit, ut maximè cætera superfuissent, ad bonitatis, & felicitatis, quâ celebrati sunt, cumulum explendum: quâ pietate qui caret, miserrimus, atque deterrimus fit etiam in florentissimâ fortunâ, inque probissimâ, ut videri queat, bonitate necesse est. At hæc pietas, hoc est, vera & germana religio, cognitio, inquam, & veneratio de præscripto oraculorum cœlestium Dei trini, & unius, Patris, Filij, & Spiritus sancti una est, quæ omnium virtutum, & parens, & alūna est, una, quæ veræ felicitatis fundamentum jaciat, fastigium imponat: una, quæ vitam hanc mortalem sine offensione dirigat, & cum æternâ salute, æternâque gloriâ, Dei munere, jungat. Hac pietate Illustrissima domus Saxonica unicè semper floruit: hanc celsissimi Electores atque Duces Saxonix à densissimis, ac ~~de~~te terrimis tenebris, atque sordibus superstitionis Pontificiæ, luce verbi divini, in aspectum rursus prolatam, & in splendorem clarissimum vindicatum primi ex omnibus Europæ regibus, ac Principibus agnoverunt, defenderunt, propagarunt: ab

ab hac neque minis deterreri, neque periculis de-
jici, neque sumptibus avocari, ac ne corruptelis
quidem averti potuerunt: hanc sibi illi ducem ad
felicitatem, ad bonitatem, ad germanam, æter-
namque gloriam habuerunt: hujus tanquam gra-
dibus in cœlum ascenderunt, hujus auspicijs tan-
tum celebritatis, memoriæ, ac nominis ad omnẽ
posteritatem reliquerunt, ut nullâ eloquentiâ ex-
plicari, nullo temporis spacio includi, vix ipso
terrarum orbe capi possit. Hæc pietas serenissi-
mo atque Christianissimo Principi atque Electo-
ri nostro tantum non per manus tradita est: hæc
illi cum lacte materno infusa est: hæc ipsum à te-
neris unguiculis ad istos pubertatis annos perdu-
xit, atque in amplissimâ istâ, & imperiali fastigio
proximâ dignitatis sede collocavit: hac ille &
Augusti Cæsaris felicitatem, & Trajani bonita-
tem infinito intervallo excellit: hujus denique pi-
etatis, & veræ, ac sinceræ religionis amore, studio,
conservatione, ac propagatione, & optimus maxi-
mus, & pater patriæ, & amor, atque deliciae gene-
ris Christiani censei jure potest. Id quod Domi-
nus, Deusque noster Jesus Christus, qui est in sinu
Patris, atque inde æternæ sapientiæ, veritatis, ac
salutis verbum protulit, & cum Ecclesia sua com-

municavit, felix, atque ratum numine, ac Spiritu
potentiæ, ac virtutis suæ æternùm esse jubeat.
Quod reliquum est;

*Te Deus alme, triplex in simplice numine
numen,*

Te canimus, dominũq; orbis, regemq; fatemur.

Te patrem, rerum sine fine modoq; potentem

Cunctarum, colit Oceano circumflua tellus.

Te septemgeminæ cæli, fulgentibus æthera

Apta oculis, sol auricomus, argentea luna:

Te turma ignigenæ, vernantis flore juventa

Orarentes Cherubi, radiante coruscus

Concelebrat facie Seraphimq; exercitus omnis:

Et sanctus, sanctus, sanctus ter maxime, terq;

Optime, inexhausta proclamat voce, superbo

Qui pede bella domas: altum tuæ gloria cælum

Implet, & æquoreos tractat, & terrasq; profundas.

Te superis mentes, & linguas ignibus aucti,

Qui tua vulgarunt & dicta, & facta per or-

Legati: te fatidici longo ordine vates: (bem,

Te contestat à pro famâ, & laudis amore

Turba tua, niveo vestis splendore resurgens,

Aut

*Aut caput intrepidum invictà cervice recisi,
Aut undis mersi, aut flammis violentibus
hausti:*

*Tè, quacunque patet tellus, Ecclesia sancta
Extollit, nullà productum ab origine patrem,
Extollit, patrio genitum de pectore Natum,
Extollit, Patris, & Nati de numine Flatum.
Tu rex Christe, penes què laudis adorea sūma,
Æterni patris soboles, & splendida forma es.
Tu suscepturus vindex mortalia secla,
Virginis haud dubitas descendere matris in al-
vum.*

*Tu frangens rigida crudelia spicula mortis,
Ætheriam pandis cœli credentibus aulam.
Tu patris ad dextram, solio venerabilis alto,
Glorià, & æquævo genitoris honore potiris.
Tu, quum supremos confident omnia in ignes,
Quasitor venies, & mundi crimina disces.
Sis facilis, felixq; tuis: devota tuere
Corda tibi: pretio generosi sanguinis & quos
Sacrato redimis, cæcis defende periclis.
Illustrem numeret nos inter gloria palmam,
Qua*

Quà sanctiq³, tui, genijq³, perennè fruuntur.
Fac saluum populumq³, tuum, sortemq³, peculij,
Ducens auspicijs felicibus: Et rege, Et usque
Evehe in ævi illos semper florentis honorem.
Quare solis ab exortu te ad solis abortum,
Cottidie canimus grati, porroq³, canemus
Augustum tibi per seclorum secula nomen.
Interea prestes nos hæc, Et luce secundà
Lucibus Et reliquis, quàm longum vita ma-
nebit,

Peccati expertes, animoq³, Et corpore puros.
Tu nostri miserere, ò tu miserere Dynasta,
Vni cui fas hoc, nostri: miseratio, clemens
Et bonitas tua sit prestio omni tempore nobis.
At quem nostra modum spes, Et fiducia solo
In te, prasidioq³, tuo inconcussa recumbit,
Nec tristes horret vultus, turpemq³, repulsam,
Alme Deus, simplex in triplice numine nu-
men.

ULB Halle

3

004 789 172



V017



Qd. 28, 5

Illu

CH
DVCI
IMPERI
grav

IN

ADAM

Add

22



ehmanni.

nig;

II,
MVIRI
O, LAND-
isnia,

ENSJ,

BERO,
E,
DC. I.

Vc
3113

